IULII PHILIPPELLI EUGUBINI, ... EPISTOLA APOLOGETICA AD PRAECLARISSIMOS...

Giulio Filippelli, Pietro Francesco : de Rossi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
45 H
27

Digitized by Google

A V a 13 845. H. 27

Digitized by Google

Digitized by Google

8.45.H.27

IVLII PHILIPPELLI EVGVBINI, MEDICI, ET CIVIS ROMANI,

Epiſtola Apologetica

AD PRÆCLARISSIMOS

ALMAE VRBIS MEDICOS.

HINC DEFENSIO,



ET PROTECTIO MEA.

ROMÆ,

Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1624.

SVPERIORVM PERMISSV.

Pertinet ad Bibliothecam S. Fran.^ Transtyberim

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

IVSSV Reuerendiſs. P. Mag. ſacri Palatij Apoſtolici libellum hunc, cui titulus, *Epiſtola Apologetica* ad Medicos Romanos, Excellentiſſimi D. Iulij Philippelli, vidi, ac diligenter perlegi, nihilque in eo offendi, quod vel circa fidem, vel circa bonos mores Chriſtianas aures læſurum ſit; in quorum fidem me ſubſcripſi die prima Octobris. 1623.

Ego Paulus Zacchias Medicus.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

Digitized by Google

PRÆCLARISSIMIS, ET OMNIVM virtutum genere ornatiſsimis

ALMAE VRBIS MEDICIS.

IVLIVS PHILIPPELLVS EVGVBINVS

Medicus, & Ciuis Romanus S. D.

CVm nemo ferè veſtrùm ſit, præclariſſimi viri, qui proprijs oculis non inſpexerit, vel ſaltè ad cuius aures non ſemel peruenerit, menſibus elapſis librum quendam *de Quæſitis per epiſtolam* inſcriptum, varia, elegantique eruditione refertum; Venetijs fuiſſe excuſum, & publicè promulgatum: in cuius folio 291.cum epiſtola quædam ad Medicos Romanos æque in arte verſatos, & ſolida doctrina præditos directa reperiatur, in eaque caſus eximij cuiuſdam Principis tunc ægrotantis, (qui per multos ante annos mea in medendo opera aſſiduè vſus fuerat, adhucque Illuſtriſſima, & Excellentiſſima eius familia, cui præmio, & fi-

Digitized by Google

de ſum valdè addictus, magno meo decore, & ſolatio lubens vtitur) diuerſimodè admodum ac contigit, recenſeatur in magnum exiſtimationis meæ præſumptum, prætenſumque detrimentum; cuius tamen ne minimum quidem iacturæ apud viros probitate, & doctrina inſignes, veritatiſque amatores feciſſe vnquam percepi: Idcirco, cùm apud Medicos ex legitima caſus deſcriptione rectum iudicium emanare, quemadmodum apud Iureconſultos ex vera facti relatione ius rectum oriri conſueuerit, nè penes veſtrùm aliquem caſus non ritè conſcium, vel fortaſsè immemorem, aliqua inſcitiæ mihi attributæ, (quam tamen non diffiteor) vel, quod maius eſt, erroris, vt præter rationem ponitur, perpetrati (quod nullo pacto admitto) inſignis relinquatur nota; præſentem epiſtolam, (ſcripta nunc ſcriptis reddendo, ſicut aliàs vox voci reddita fuit) ſingulari veſtra humanitate, atque prudentia fretus, audacter in meam defenſionem vobis exarare decreui. In qua (vt inſtituti mei rationem omnem habeatis,) Primò caſum ad vnguem, vt contigit, Hippocratico more, ſine fuco, & fallacijs, deſcribere conſtitui; tum vt facti veritas omnibus innoteſcat; tum etiam vt vnuſquiſque veſtrùm ſicut doctiſſimus, ita æquiſſimus huius cauſæ iudex exiſtat. Secundo loco eiuſdem auctoris poſitionem, tanquam à facti

contin-

Digitized by Google

contingentia valdè alienam, pro veritatis amplificatione eruere, totiſque viribus infringere conabor; hocque non ſolum teſtibus fide dignis, verum etiam rationibus ex ſolida Hippocratis, & Galeni doctrina deſumptis comprobabitur. Tertio electuarij Diaphœniconis in alienum patrocinium accuſationem non merentis, & tamen in crimen adducti, partes tuebor; tum quoad eius qualitates, & actiones; tum etiam quoad doſim, in qua ſolet, & poteſt à Medicis exhiberi. Vltimò oſtendam non ſolùm in Colicæ principio, verum etiam ſub cane, & ante canem, & cuilibet ſubiecto etiam Principi, dummodò cætera conſentiant, propinari tutiſſimè poſſe.

ET AD primum veniendo, meminiſſe debent, quòd Excellentiſſimus ille Dominus, de quo agitur, ætatis ſuæ annum quinquageſimum ſecundum agens, quadrati habitus, complexionis totius corporis ſanguineæ, & proinde calidi, & humidi temperamenti, ad aliquam tamen calidioris hepatis ratione aduſtionem inclinantis, ventriculi verò quoquo pacto frigidi; prima die Auguſti M. DC. XIV. circa Veſperas, cùm toto eo anni tempore fructuum horariorum copiam, prunaque præcipuè quamplurima niue refrigerata comediſſet, potuque tam vini, quàm aquæ gelidiſſimo vſus eſſet, de quibuſdam vagis

Digitized by Google

totius ventris doloribus conqueri cœpit, qui non propriè Colici, non Iliaci, ſed cùm totum abdomen exercerent, Inteſtinales potius nuncupari poterant. Ab his per totam noctem inſigniter ſolicitatus, mane circa Solis ortum me Medicum ſuum domeſticum accerſiri iuſſit; accedenſque, & intelligens acerbiſſimis eum doloribus diuexari, ad enematum vſum confugiendum illico conſului. quæ cùm ipſe renueret, inquiens, ſe illa nocte duo proprio, & Pharmacopolæ marte adminiſtraſſe, nullumque inde beneficium retuliſſe; ſuſpicans materiam morbificam in ventriculi fundo, atque in inteſtinis ſuperioribus magis quàm in inferioribus ſtabulari, (quo caſu *quinto de locis affectis* Galenus auxilia ab epotis petenda eſſe præſcribit) eius aſſenſu medicamentum in bolis, cùm admittere in potione nollet, Pharmacopolæ, qui præſens erat, (vt in apotheca videri poteſt) ſic præſcripſi.

Recipe Diaphœniconis vnciam vnam, cum quatuor guttis aquæ Cinnamomi. Fiant boli, & capiat nunc.

Quos exiguum poſt tempus à diligenti iuuene paratos aſſumpſit. Quibus deglutitis, illico Medicus alter extraneus ab Excellentiſſima Patientis vxore vocatus ſuperuénit; & petens, quidnam pateretur, reſponſum accepit, ſe ventris doloribus ſolicitari, & propterea tunc pharmacum

in

Digitized by Google

in forma ſolida aſſumpſiſſe; intelligenſq. à Pharmacopola, bolos ex vna Diaphœniconis vncia fuiſſe conflatos, *perbellè, & optimè*, inquit, *feciſti; nullum remedium ſalubrius, magiſue præſentaneum præſcribi poterat; abſque dubio te liberabit*. ac ſtatim receſſit, nec vltro reuerſus fuit vſque ad veſperas. hocque accidit mane circa horam decimam. Quatuor poſt horas ad inuiſendum Excellentiſſimum patientem redij, qui interrogatus, quomodo ſe haberet, quidque pharmacum effeciſſet, ſexies ſibi aluum ſubductam eſſe reſpondit, in fineque non nihil pituitæ acidæ euomuiſſe, & propterea ventris dolores penitus ſedatos eſſe. Excrementa præter fœces educta, fuerant cruda, & pituitoſa, cum aliqua bilis portione admixta, vtque adſtantes retulerunt, multa flatuum copia comitata; vnde non mirum, ſi ſtatim dolor euanuerit, cùm materia tam corpulenta, quàm flatuoſa, doloris cauſa, pharmaci opera fuerit educta, iuxta illud Hippocratis primo aphor. *Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt*. Interim congruam victus rationem, qua ſibi vtendum erat in prandio præſcripſi; interdictaq. omnino fuit fructuum comeſtio, nec non vini glacie refrigerati potio.

HORA eiuſdem diei vigeſima ad eum inuiſendum redij, qui ſe optimè valere, & à doloribus omnino immunem eſſe confirmauit; immò

ſe ex cubili ſurrecturum, inferiuſque deſcenſurum inſtabat, vbi multi equites patritijque Romani ad æſtatis calorem compeſcendum animi cauſa frequenter conuenire conſueuerant. quod cùm mihi non probaretur, ſtatim acquieuit, Perilluſtremque Dominum Federicum Ghiſlerium ad ſe accerſiri iuſſit, cum quo à vigeſimaprima hora, vſque ad vigeſimamquartam colloquendo, ac confabulando hilariter illud tempus pertranſijt. Qua hora ferè ſtatim tranſacta (cùm in prandio à fructibus non abſtinuiſſet, potuque niue refrigerato vſus eſſet, cùmque per totum diem tum doloris, tum pharmaci ratione ſitiendo, os aqua gelidiſſima ablueret, eiuſque non modicum biberet) cœperunt iterum ventris dolores inſurgere, eumq. vehementer diuexare; quibus ambo Medici, qui curæ præeramus, enemata carminantia inijcientes, & antidotos dolorem mitigantes exhibendo conſuluimus.

SEQVENTI nocte inuaſit eum febris, quam primo inſultu doloris cauſa de Ephemerarum genere ex ſola ſpirituum accenſione eſſe cenſuimus. poſtmodùm ob morboſum apparatum febrilis calor à ſpiritibus ad humores pertranſijt, atque Ephemera non ſolum in putridam degenerauit, verùm etiam malum morem, ac prauitatem acquiſiuit, inſtabiles exacerbationes, atque inconſtantes habens. Quibus perſpectis poſtridiè,

diè, (cùm iam dolores ex toto quieuiſſent) ex communi conſenſu ad ſanguinis ex dextro brachio detractionem deuénimus, qui prauus admodùm apparuit, intenſam putredinem, & corruptionem præſeferens; & cum aluus adſtricta eſſet, ſi non ſingulis, alternis ſaltem diebus cliſteres acres, & ſoluentes, cùm à lenibus non ſubduceretur, inijciebantur. Febre dehinc quarta die inualeſcente, ſuccreſcentibuſque ſymptomatibus, cùm humores calidi raptum ad caput haberent, pro eorumdem reuulſione hyrudines ſedis venis fuerunt applicitæ. & omiſſo de medicamentis alterantibus, tam ab euidentibus qualitatibus, quàm à totius ſubſtantiæ proprietate agentibus ſermone, (nam hæc omnia ſuo loco, & tempore fuerunt exhibita)ad veſicantiũm circa brachia, & crura, vt moris eſt, applicationem deuenimus; quorum omnium ope circa vigeſimam diem febris vna cum ſymptomatibus mitior apparuit, ita vt ſpes de eius ſalute non modicùm eſſet aucta. A qua, inquam, vigeſima die vſque ad trigeſimam ſecundam, in qua tandem obijt, quid acciderit, recenſere amplius non poſſum; propterea quòd curationi vlterius non interfui. Illuſtriſſimus enim, & Excellentiſſimus D. Federicus Cæſius Aquæſpartæ Dux, Excellentiſſimæ Coniugis patientis precibus ad hoc peragendum admonitæ, vt ei, licet non libenter,

obſe-

obſequeretur, ſuo mihi nomine ſuaſit ne ampliùs ad inuiſendum Excellentiſſimum patientem accederem, quouſque eſſem admonitus, ac denuò vocatus: cuius conſilio cum paruiſſem, Excellentiſſimus patiens videns poſtridie me aliorum Medicorum viſitationi non intereſſe, de mora conqueri cæpit, petenſque bis, terue à domeſticis, cur adhuc non acceſſiſſem, tandem vt acquieſceret, me ea nocte febre correptum cubili decumbere inſinuarunt; quibus fidem adhibens, idque ægrè ferre admodum oſtendens, vni ex aulicis iuſſit, vt me ſuo nomine viſitaret, mihique cuncta, quæ domi ſuæ reperirentur, ſecundum indigentiam offerret. Quod audiens Excellentiſſima eius Coniunx, Dominum Ducem Cæſium illico vt decepta accerſiri præcepit, cuncta, quæ geſta fuere referens, ipſumque etiam, atque etiam rogans, vt reditum meum in domum ſuam quamprimùm curaret, ſicut perbellè fecit: cuius conſilio, immò etiam iuſſui non obſequi, optima ratione ſatius eſſe iudicaui; quemadmodum idem cum duobus Illuſtriſſimis DD. meis id ipſum à me petentibus, & præcipientibus contigiſſe, notum eſt. quæ omnia iuſto Dei iudicio innocentiam tuentis, & veritatem propalantis contigiſſe credendum eſt: ſpes etenim de ſalute concepta circa decem, vel duodecim ab illinc dies omnes fefellit, vt ex ſubſecuto tunc

Excel-

Digitized by Google

Excellentiſſimi Domini obitu palam factum eſt, quemadmodum euentus poſtmodum omnia comprobauit.

HAEC eſt vera, fidelis, & germana caſus deſcriptio, quam quidem adamuſſim, & veridicè deſcribere ſum conatus, vt veracis, & fidelis Medici, quod apprimè decet, officio fungar. Nam quemadmodum hiſtoriarum ſcriptores, vt ei, quem ſibi elegerunt, famam, immortalitatemq. comparent, veraces eſſe, & rem prout geſta fuit, vel eſt, ad vnguem referre debent, ſicut Pauſanias *lib. 1. in Atticis*, Polibius *lib. 12. hiſtor.* & M. Tullius *2. de Oratore* ſcriptis mandarunt; ſic & Medici in caſuum relationibus in conſultationibus fieri ſolitis, vbi plures conueniunt, & in ijs, quæ ſcriptis traduntur, veritati omnino inniti, &, vt præcipit Gal. *lib. de Conſtit. Art. Med.* eiuſdem amore ardentiſſimo teneri debent; aliter nec rectè de aliqua re à primo loco dicente voce propoſita à ceteris deliberari, nec de ijs, quæ ſcriptis iudicanda proponuntur, vllo pacto rectum iudicium fieri poterit. Propterea igitur cùm relatio ab auctore *de quæſitis per epiſtolam* in caſu, de quo agitur, varia ſit, & valdè longinqua ab eo, quo contigit modo; hocque vel propter obliuionem à temporis diuturnitate contractam, (decem enim ab hinc annis id accidiſſe, cuique notum eſt) vel quoniam propter alias cauſas ſic

ei li-

Digitized by Google

ei libuit; onus mihi diuerſitatem patefacere, eamque refellere præcipuum nunc incumbit, quemadmodum in ſecundo propoſito ſum pollicitus.

TOT igitur vehementiſſima, ſæuiſſima, lethaliſſima ſymptomata, quæ vix vnam poſt horam ab aſſumpto pharmaco inſimul ipſe in dicta epiſtola recenſet ſuperueniſſe, vt *vomitus frequentiſſimus, perpetua nauſea, ſingultus, tormina, lipothomiæ, purgatio indeſinens, celeritas, inæqualitas, & languor in pulſibus, vrinæ cruentæ, linguæ ariditas, & ſcabrities, exteriorum omnium partium frigiditas cum leui ſudatiuncula*, & alia ficta ſymptomata ab auctoribus de veneni propinati ſignis agentibus deſumpta, quæ admirationem omnibus pariunt; tantum abeſt vt ſuperuenerint, vt potius Medicamentum aluum ſexies leniter, & abſque vlla moleſtia duarum, vel trium horarum ſpatio ſubducendo, à colicis, inteſtinalibuſue doloribus ægrum omnimodè liberauerit, vt teſtari poſſunt, & teſtabuntur, quotieſcunque, & vbicunque opus fuerit, D. Iacobus Iocchius Pharmacopola in inſignibus Corallij, Illuſtriſſimæ illi domui tunc inſeruiens; Dominus Antonius Maria Foglianus Mutinenſis, Dominus Bartholomæus Eternus Cæſenas, Dominus Ioannes de Satis Aretinus, omnes tunc temporis cubicularij

Digitized by Google

larij intimi, nunc Romæ degentes,& alij domeſtici fide digni, qui omni euentui diu, noctuq. interfuerunt.

PRAETEREA, dato, & non conceſſo, quòd dicta ſymptomata fuerint ſubſecuta, quis eſt tam ſenſu, & ratione deſtitutus, tamque parum in arte Medica exercitatus, qui non cognoſcat, ſi vomitus frequentiſſimus, & perpetua nauſea inter reliqua enarrata ſymptomata ſtatim fere ab aſſumpto pharmaco ſuperueniſſent, quòd eo vomitu reiecto illicò ab omni noxa, præſumptoq. periculo Excellentiſſimus patiens fuiſſet liberatus? Siquidem conſtat apud omnes Medicinæ profeſſores, quòd pro veneni per os aſſumpti medela, antequam ad actum deducatur, & à ventriculo per Pylorum in inteſtina deſcendat, nullum magis proficuum, præſentaneumq. reperiri remedium, nec à Medicis, qui eius curationi præſunt, præſcribi poſſe, quàm vomitorium; hoc etenim venenum, venenique ſubſtantiam à corpore per vomitum educens, ſtatim ab omni imminente diſcrimine patientem liberat; ſicut teſtantur omnes de venenorum curatione ſcribentes, vt Auicenna, Conciliator, Capiuaccius, olim præceptor meus, Mercurialis, Baccius, & alij inſignes Auctores. Si igitur pharmacum per vomitum euacuans in veneno per os aſſumpto à toto genere humanæ naturæ aduerſario id præſtare po-

re po-

Digitized by Google

re poteſt, quid dicendum de medicamento familiari, omnique noxa carente, vt eſt Elect. Diaphœnicon, quemadmodum infra probabitur? Quòd ſi collegæ in ſuſpicionem venerat, cùm ibi ſtatim ab eo aſſumpto præſtò fuiſſet, quare illud laudibus comprobauit? ſi eius noxam reformidabat, cur illicò vomitorium non exhibuit? vt ante quàm de potentia ad actum deduceretur, è ventriculo per vomitum educeretur? ſicque vomitorium non ſolùm ab omni præſumpto pharmaci nocumento, ac periculo præſeruaſſet, verùm etiam aliquo pacto doloris colici curatorium extitiſſet.

Qvod deinde aliud ſymptoma in excretis immodicè, *purgatio* ſcilicet *indeſinens* ſubſecuta minimè fuerit, quòdque neque hipercatharticum, neque hæmagogum, vt ſcribit in Epiſtola, extiterit medicamentum; ſi ſuperioribus teſtibus idem comprobantibus nolit quis fidem adhibere, ſaltem rationibus adhibeat; quarum præcipua ad impoſſibile deducens ab Hipp. *lib. de Flat. tex. 3.* deſumitur, vbi Medicinam definiens habet hæc verba: *Medicina nihil aliud eſt niſi appoſitio, & ablatio; ablatio quidem eorum, quæ excedunt; appoſitio autem eorum, quæ deficiunt.* Quæ Medicinæ definitio, ſi vera eſt, quemadmodum Medici omnes veram eſſe autumant, cùm vniuerſali Hippocratico axiomati, *Contraria contra-*

rijs

rijs curantur, innitatur; veriſſimum eſt etiam, eos, qui pharmaci violentia ſuperpurgantur, nullam vlteriorem excedentium ablationem, deficiente virtutis robore, ſubſtinere poſſe; immò potius deficientium appoſitione indigere. Si ergo in Excellentiſſimo patiente ſuperpurgatio illa indeſinens cum celeritate, inæqualitate, pulſuſq. languore affuiſſet, quo iure, aut qua indicatione ſanguis modò ex brachijs, modò ex ſede detractus fuiſſet, quemadmodum ex communi vtriuſque conſilio fuit detractus? hoc enim notiſſimum eſt omnibus; & barbitonſor, qui venam ſecuit, hirudineſque applicuit, pleniſſimam eius rei probationem faciet; credo equidem, quòd nec ipſe, nec alius quicunque Medicus in tali caſu hoc remedium propoſuiſſet, neque ego vllo pacto aſſenſiſſem; quoniam hoc fuiſſet, ægrum ſtatim, & abſque vlla mora iugulare. De qua tamen ſanguinis miſſione, ad contradictionem euitandam nullam in epiſtola mentionem feciſſe arbitrandum eſt; quoniam ſuperpurgatio indeſinens cum pulſus languore, & ſatis copioſa ſanguinis detractio, nec ſemel celebrata, neutiquam ſe inuicem compati poſſe videntur.

PRAETEREA ſi idem Hippocrates *lib. de rat. victus in acut.* in ſimplici alui fluore à natura concitato, viribus adhuc in ſuo robore exiſtentibus, ſanguinis miſſionem non admittit, niſi prius

Digitized by Google

ſi prius venter confirmetur, & Gal. *in comm.* per hæc verba, *Fluente aluo ſanguinem non detrahes; nam ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, virtutem proſternit*, idem confirmat, ſicut etiam *1. ad Glauc.* idem aſſerit, dum inquit: *Si fiat febris cum alui fluxu, ſufficit illa euacuatio, licèt non ſit pro multitudinis ratione; quicunque enim plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem adimere, aut corpus purgare voluerunt, in maiora ægrum duxerunt pericula*; quantò magis Medici à ſanguinis detractione abſtinere debent in ſuperpurgatione vi pharmaci inducta? in qua non ſolum familiaris humor, verùm etiam alij ſubſequenter, tandemq. ſanguis vitæ noſtræ ex Ariſtotelis ſententia theſaurus, laxatis iam venarum, & arteriarum oſculis purgatur; ob quam ſuperpurgationem viribus collapſis, ad extremumque imbecillitatis deductis, nil aliud miſeris patientibus relinquitur, quàm citiſſimè, & confeſtim cum ſanguine vitam fundere.

Eadem ratio eſt de clyſteribus vſurpatis acribus, & ſoluentibus, omninoq. ex electuarijs, vt eſt, Benedicta, Hyera, & huiuſmodi vehementer aluum ſubducentibus compoſitis, nec non de ſuppoſitorijs ſimilibus impoſitis; ſiquidem duo hæc, ſicuti ſanguinis miſſio, detrahunt vbi adiectione opus eſt; vndè & ſuperpurgationem augent, vires iam valdè imbecilles penitus pro-

ſternunt,

Digitized by Google

ſternunt,feſtinanterq. obitum accelerant. Quòd autem clyſteria,ſuppoſitoriaq. huiuſmodi poſtridiè, multiſque alijs ſubſequentibus diebus poſt pharmacum aſſumptum, eiuſque ritè, & celeriter opus præſtitum ob adſtrictam aluum iniecta fuerint, præter teſtium enarratorum, pharmacopolæq. præcipuè,qui eos iniecit,probationem, eiuſdem debitorum libri conſulantur, in quibus non horum tantùm, verùm etiam cæterorum remediorum tunc vſurpatorum ſchedulæ fideliter deſcriptæ reperientur.

TANDEM ſi ex ſæuiſſimis ab eo enarratis ſymptomatibus vnumquodq. ſeorſim, eſt lethaliſſimum,quid dicẽdum,ſi cuncta ſimul,& ſemel ſtatim fere ab aſſumpto pharmaco, eiùs cauſa, vt gratis affirmat, ſuperueniſſent? profectò patientis vita ad paucas horas prorogari potuiſſet; quemadmodùm ijs accidit, qui pharmaci violentia ſuperpurgantur, quorũ vita ad ſecundum ad ſummum diem vix ſuperſtes eſſe poteſt, teſte Hipp. *lib. de Medic. purg.* dum aſſerit: *Turpis calamitas eſt, ægrum aſſumpto pharmaco mori*; quibus verbis nobis expreſsè ſignificare videtur, ægrotantes dum pharmacum copia, qualitate, & tempore incongruum, atque ſuperpurgans aſſumunt, eadem die cum medicamento interire; & tamen noſter ægrotans ad triginta & plures dies ſuperuixit, ſuperuicturus etiam ad multos annos, ſi ei

Digitized by Google

optimè, & ſecundùm rationem cōſultum fuiſſet. At, *Modica*, inquit, *Theriaca cũ vino exhibita eum à mortuis reuocauit*. Pulchrum ſanè dictum; ſi etenim iſta Antidotus in tanta ſæuiſſimorum in epiſtola enarratorum ſymptomatum ſyndrome, tam admiranda, & vltrà naturam opera ſtatim edidiſſet, ſperandum etiam foret eius beneficio vel nunquam ferè homines morituros, vel ſaltem iam iam morituris vitam ad plurimos dies protendi poſſe. Verùm cùm hoc ferè impoſſibile cenſeatur, impoſſibile etiam cenſeri debet; cuncta ſtatim recenſita ſymptomata ſuperueniſſe abſque ſubito quoque ægrotantis interitu.

SED iam ad tertium in ordine propoſitum ſermonem meum conuerto, ad electuarium videlicet Diaphœnicum, quod, quamuis tutela aliqua indigere non videatur, cùm ſit culpæ omnis expers, nihilominus cùm ab auctore in ſua epiſtola, *Medicamentum tam acre, tam forte, tam catharticum, ſuperpurgatorium, hamagogum, corroſiuum, & ad veneni naturam accedens* appelletur (his etenim omnibus encomijs miſerum inſignitur) neceſsè eſt, veterũ, & recentiorum auctoritatibus, ac rationibus eius innocentiam tueri.

ET primùm quoad auctoritates, Meſues inter Arabes nemini ſecundus, huiusq. Electuarij forſitan inuentor, in ſuo Antidotario habet hæc

verba:

verba: *Diaphœnicon eſt ſolutiuum facile, & conueniens, eſtque medicina ſecuritatis, conferens ad febres compoſitas, ad colicam, ad dolorem ventris, & ad humorem crudum, & frigidum.* & in commento dicitur, quòd *appellatur ſolutiuum, hoc eſt deiectorium, ad differentiam alius Diaphœniconis, quod eſt emplaſtrum conſtrictiuum ventris fluxus, non quod verè ſit ſolutiuum, & catharticum.* quod animaduertens Ioannes Zecchius inſignis noſtri temporis Medicus, in ſuo Medicarum conſultationum libro *conſultat.* 1. reponit Diaphœnicon inter medicamenta clementia, & leniter aluum ſubducentia; dum conſulit, quòd pro purgatione corporis in caſu, de quo agit, vtendum ſit medicamentis clementer deorſum purgantibus, *qualia ſunt*, inquit ipſe, *ſyruppus ex pluribus roſarum, & violarum infuſionibus, Mel aereum, Caſsia fiſtula, Tamarindi, Rhabarbari infuſio, Diacatholicum, electarium de Dactilis, de prunis, & ſimilia*; & alibi in eodem libro affirmat, Diaphœnicon eſſe Medicamentum medium inter lenientia, & ſoluentia.

Ioannes Manardus in Galeni doctrina, & Arabum cenſura celeberrimus, in adnotationibus ſuper compoſita Meſue inquit, quòd benigna ſatis eſt, & tuta per confectionem de Dactilis purgatio.

Leonardvs Iacchinus à plurimis, præ-

ſertimq. à Hieronymo Cardano, & Andrea Ceſalpino laudatis viris laudatus, & primarius ſui temporis Medicus habitus, *in nonum Raſis cap.45.* aſſerit, quòd Diaphænicon vim purgandi hebetem habet, & proindè vis eius purgans primas vias non excedit.

IOANNES Næuius, *Conſ.14.* à Laurentio Scolzio recenſito affirmat, quòd in Colicæ curatione à fortioribus medicamentis ſemper abſtinet, nè à remotioribus corporis partibus ſucci in ventriculum deriuentur, & propterea libenter vtitur confectione Diaphæniconis, cùm eius operatio ex Medicorum ſententia iecur non transſcendat.

SI igitur grauiſſimi iſti auctores tam benè de huius electuarij natura, & qualitalibus ſentiũt, cur eſt, quòd inter vehementiſſima cathartica, & corroſiua reponatur? an quia recipit ſcammonium ab omnibus communiter deleterium quoquo pacto habitum? hoc non controuertitur, ſi de ſolius ſcammonij exhibitione ſermo habeatur, & ſuprà doſim; at ſi conſideretur prout in compoſitionem aliorum, & præcipuè Diaphæniconis ingreditur, tantum abeſt, vt ſit deleterium, & noxium, ſuumque compoſitum tam acre, tamque catharticum reddat, vt potiùs (corrigentium tamen beneficio) benignum, & ſaluſiferum euadat. Nec ſuſpicandum eſt illud à lon-

ginquis

ginquis partibus ad loca patientia humores attrahere, quoniam Dactili in eius compoſitione dedita opera appoſiti ſuo lentore, & viſciditate eam attractionem impediunt, vt Siluius, & omnes ferè de Medicamentorum compoſitione agentes fatentur. Solus Manardus rationem hanc admittere non videtur; ſed quid vnus inter tantos? in vnáque re inter infinitas? Cùm igitur à longè attrahendi facultas ei ſit præpedita, reliquum eſt, vt tantùm excrementa in prima regione ſtabulantia abſque alia humorum commotione quaſi leniendo feliciter euacuet. Aliud ergò eſt de Scammoneo, aliud de Diaphœnicone Scammonium recipiente, loqui. Vndè iis tam de vno, quàm de altero ſic ſermocinantibus idem accidit, ac illis, qui de ſpiritu Calcanthi exiguam theoriam, & nullam praxim habentes eum inter calidiſſima, valdè adſtringentia, vlceratiuaque medicamenta reponunt, ſuperficialibus tantùm Galeni verbis *lib. 9. de ſimpl. Med. facult.* & Dioſcoridis *cap. proprio de ſolo Calcantho* loquentibus innixi: alia etenim eſt Calcanthi ratio, alia verò calcanthini ſpiritus; ſi de Calcantho ſit ſermo, nemo ſanæ mentis erit, qui facultates, & actiones à Galeno, & Dioſcoride ſibi attributas poſſidere non fateatur; at ſi de eius ſpiritu quis loquatur, tantùm abeſt, vt calefaciat, exulceret, & noxius exiſtat, vt potiùs refrigerans, putredinem inhi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

bens, prauitatem edomans, tandemque ſaluberrimus habeatur, vt ſecretioris Philoſophiæ profeſſores atteſtantur, & quotidiana experientia evidentiſſimè confirmat, dummodò tamen non ſolus ſpiritus, nec in multa copia, ſed ad aliquot tantùm guttulas, vt octo, vel decem, vel etiam plures cum copioſa aliqua ſtillatitia aqua refrigerante permixtus propinetur; ſic etenim ſi quæ in deſtillatione relicta eſt caliditas, & acrimonia (cuius quidem hunc ſpiritum expertem omninò eſſe negari non poteſt) ea frigidarum aquarum mixtione ita retunditur, & attemperatur, vt non amplius caliditas, & acrimonia, ſed manifeſta, & iocunda aciditas cum refrigeratione ſenſu ipſo percipiatur.

IDEM etiam aſſeri poteſt de vino, præcipuè Thaſio, de quo Hipp. 3. *de morb. text. 17.* ſermonem habens, inquit: *Thaſij vini veteris pars vna cum vigintiquinque partibus aquæ permiſcenda, & ægrotis propinanda*; ſic enim vinum bibitum, licèt natura calidum, non ſolùm non calefacit, ſed potionem aquoſiſſimam efficiens per viſcera permanere, per totum corpus diſtribui, illudque humectare & refrigerare poterit.

SED vt vndè digreſſus eſt ſermo reuertatur, aſſerendum eſt, quòd ſcammoneum mixtum aliquo pacto deleterium ad duodecim drachmarum ex communi ſententia, & vſu pondus in to-

tam

Digitized by Google

tam Diaphœniconis compoſitionem quinque libras pendentem ingrediens, à quadringentis, & ſeptuaginta aliorum ingredientium drachmis, vt ſunt Dactili, Penidia, Amigdalæ, & cætera notiſſima omnibus aromata vna cum melle ità corrigitur, ſicque eius vis retunditur, vt non ampliùs deleterium, vehemensque catharticum, ſed benignum, leniterque bilem, & pituitam purgans cum turbith auxilio euadat medicamentum, tutiſſimeq. in præternaturam affectibus ex Meſue ſententia ſuprà recenſitis, non ſolùm, ad quatuor, vel ad ſex, verũ etiam ad octo, & plures drachmas exhiberi poſſe; quæ doſis non mirum eſſe debet ſi in reprehenſionem veniat, quoniam reprehenſor illud fortaſsè electuarium non magni faciens, eiuſdem naturæ, & facultatis cognitionem adipiſci non potuit, neque illud ægrotantibus ſuis præſcribere vnquam conſueuit, probabili tantùm ratiocinationi intentus, non autem exercitationi cum ratione, ſicut *text. primo libelli de præceptionibus* faciendum monet Hippocrates.

QVOMODÒ igitur vnius vnciæ Diaphœniconis pondus criminari poteſt, ſi in vnaquaque vncia vix decem ſcammonei grana, vt arithmeticè videri poteſt, ingrediuntur, cùm Galen. *libro de Dinamidijs* duorum ſcrupulorum doſim ſoli ſcammoneo conſtituat; & Dioſco-

 rides

Digitized by Google

rides ad drachmam vnam poſſe aſcendi concedit? & Braſauolus *libro de ſimplicibus* affirmat cuidam exhibitum fuiſſe ad duas drachmas abſque noxa. Præterea Alexander Maſſaria *lib. de purg. med.* de Diaphœnicone loquens, eius elogium his verbis patefecit, quòd ſcilicet *inter cetera medicamenta ad purgandam pituitam accommodata hoc ſua ſententia principem locum obtinet*. Ex quo factum eſt, vt illo præ cæteris familiariter, & libenter vti ſoleret ad quatuor, ſex, & octo, drachmas, quas quidem tranſcendere non auderet, ſicut nec ego tranſcendi, licet iure merito tranſcendi poſſent. Et Leonardus Iacchinus loco ſuperiùs adducto inquit, quòd ipſum Diaphœnicon ſolum tamen vnius vnciæ pondere, dari debet cum ſeminum decocto. Paſchaſius, cui à Pereda non modicum inuidetur, & propterea grauis auctor habitus, *in methodo curandi morbos*, non tantùm minoris, quo nunc omnes vtuntur Diaphœniconis, verum etiam maioris duplum ferè ſcammonei pondus recipientis drachmas decem cum dimidia exhiberi poſſe affirmat. quam doſim ſi idem Pereda eius inuiſor, & acerrimus inſectator excedentem, dignamque crimine exiſtimaſſet, neutiquam ei peperciſſe cenſendum eſt, ſed acerbiſſimis in eũ reprehenſionibus irruiſſet, quemadmodùm in leuibus etiam rebus, in quibus errare credit, nequaquam ei parcere, & diſſimulare om-

Digitized by Google

re omnibus vtriuſque ſcripta legentibus palam fieri poteſt.

Sed quid plures Auctores graues eandem doſim confirmantes memorem? Meſues ipſe electuarij inuentor, cuius ſententiam, & doctrinam vnà cum ceteris ſemper ſequi, eamque tueri propoſui, cùm ad Pharmacorum compoſitionem, & ad eorum purgantium præcipuè doſes conſtituendas, in quibus, inquit Ludouicus Bertaldus *libro de Medicamentorum apparatu*, quòd ei maximè creditur, cùm non proprio animi impetu, ſed optima ratione, & conſilio moueatur, pro cunctis omnibus id teſtari ſufficiet: ipſe enim *cap. proprio de Diaphœniconis doſi* loquens, hæc verba protulit: *Et datur ab aureis tribus, ad aureos ſeptem*, qui ſeptem aurei ſunt drachmę decem cum dimidia, vt teſtâtur omnes de ponderibus, & men ſuris ſcribentes. Si igitur Auctor iſte inſignis aliquandò ad ſummam doſim, hoc eſt ad drachmas decem cum dimidia aſcendi poſſe concedit, cur mihi in mediocri, hoc eſt dragmis octo circà ſubiectum hanc permittens perſiſtere nō licebit?

Oppositae opinionis aſſertor inquit, quòd Meſues in illis verbis *delinquentium clypeus, aſylumque* exiſtit, ſubditque, *non temerè eſſe credendum, operarique ſecundùm libros asbque perfecta ratione, & ſolerti ingenio moleſtum eſſe*. Quæ cautio licet ante iuuenum tyronumque oculos tantùm

ſit

ſit obijcienda, & proindè ſine reſponſione à prouectis relinquenda foret; nihilominùs dicendum eſt, in eum errorem incidere, qui Auctorum non claſſicorum, nec cum ratione loquentium, & qui fama, & nomine multi ſunt, vt quidam Neoterici nimium ſibi tribuentes, ſcriptis fidem adhibent; ijſque oſcitanter vtuntur: at illis credentes, ſecundumque eorum libros operantes, qui inſignes admodùm fuerunt, & qui re,& opere pauci exiſtunt, quorumqre præclara admodùm in Medicina dogmata, & monumenta tanquam optima ſemina vberioris fructus gratia, vt Hippocratis lex teſtatur, in terram demiſſa, per tot ſæcula fuerunt à poſteris recepta, & in vſum cum certa, & tuta obſeruatione, ratione habita ad requiſitas omnes conditiones redacta, ſicut præcipuè ſunt Meſues ſcripta, neque ad clypeum, neque ad aſylum confugere, ſed canonicè admodùm mederi cum ſolerti ingenio, & interpoſito iudicio dicendum eſt, ſicut ipſe in ſua epiſtola conſulit, in qua non ſemel legitur, quòd Medici Auctoribus credere non debent, & ſecundùm libros operari abſque ſolerti ingenio, & interpoſito iudicio noxium eſt. Quibus verbis ad inſtar alicuius Archiatri inſignis non ſolum antiquorum auctoritati derogare, quoſdamque Medicos remediorum formulas docere, verum etiam Almæ Vrbis collegio, immò toti Medicæ Reipu-

blicæ,

Digitized by Google

blicæ, & vniuerſitati conſulere videtur, dum in Diaphœniconis compoſitione ſcammoneum nõ crudum, ſed coctum, quod eſt Diagridium, apponendum eſſe perſuadet, non obſtante quingentorum, & plurium annorum inueterata, & communiter obſeruata in contrarium conſuetudine. Sed ad rem. Medici igitur ſupradicta peragentes ſingulari laude digni cenſendi ſunt, cùm ſolidæ antiquorum, recentiorumque doctrinæ communiter receptæ, adijciendo potiùs eorum auctoritati, quàm detrahendo grati animi cauſſa adhærere felici cũ ſucceſſu ſemper profiteantur.

Clypevs, & aſylum eorum eſt, qui ex iure ſtatus Medicinam facientes pro corporũ omnium purgatione non niſi Mannam, ſyrupum Roſaceum ſolutiuum, & huiuſmodi leuia exhibent, illud ſcammonei, ſcammoneatique medicamenti nomen, ac ſi eſſet dæmon, reformidantes: quod equidem neutiquam reformidare auſerim, ne in eorum numerum, qui non timenda metuunt, ingredi viderer; volunt enim prædicti ommiſſionis potiùs, quàm commiſſionis delictis argui: vndè non mirum, ſi ægritudines vel nunquam ſanentur, vel in longius, quàm par ſit tempus protrahantur; hocque accidit potiſſimũ, quoniam cauſſæ morbum faciẽtes proprijs pharmacis non abſcinduntur, ſicut faciendum præcipit Galenus 4. Method. dum ait, quòd nullus vnquam

quam affectus ſanari poteſt, manente adhùc ea, ex qua ortus eſt cauſſa. Ad quod etiam reſpiciens Hippocrates *lib. de med. purg. inſcripto*, habet hæc verba: *Oportet igitur bilioſis dare quod bilem purgat, pituitoſis quod pituitam, hydropicis quod aquam, & atrabiliarijs quod atram bilem; ſi verò extra hæc purgaueris, quæ quidem purgari debent, non purgabis, quæ verò non debent, ea euacuabis, quare in vtramque partem peccabis*. Qua Hippocratis ſententia docemur omnes, non ſatis ſemper eſſe lenientibus vti, ſed aliquandò, & quandocumque opus fuerit ad electiuè educentia deueniendum, vt humores peccantes medicamentis appropriatis euacuentur. Hoc inſuper etiam Galenum confirmaſſe *lib. Quos & quando purgare oporteat, & quibus medicamentis*, omnibus eum legentibus notiſſimum exiſtit.

Insvper, vt grauior præſumptus error appareat, aliud aſſerit videlicet, quòd illud Diaphœnicon per paucos tantùm antè exhibitionem dies fuerat præparatum, *recenſque omnino erat, nec adhùc maligna, & delecteria Scammonei vis à ſimul commixtis caſtigari; ac corrigi potuerat. quæ conditio*, ſubiungit, *quanti referat, non modò conſtat ex Theriaca, de qua tamen verum aſſerere omnibus in confeſſo eſt, verum etiam ex ſimilibus purgatorijs, ſicut eſt Diaphœnicon de recenti confectum, integras adhùc Scammonei vires*

reti-

retinens. At in hoc ille non bene ſentire videtur: ſiquidem illatio, & tranſcenſus à pharmaco alterante opiato, vt eſt Theriaca, ad purgantia, nullo pacto admitti poteſt, vt infrà patebit. Nihilominus, vt maior aſſertioni ſuæ fides adhibeatur, alibi inſert, quòd ob prauam ſcammonei qualitatem *ventriculus cum toto Oeſophago excoriatus, duodenum inteſtinum perforatum, craſſiora, ſed maximè Rectum, ſphacelo corrupta* in diſſectione poſt obitum reperta ſunt.

PRIMAE reprehenſionis parti per me ipſum primò ſatisfaciam, aſſerens, Diaphœnicon illud ſecunda die mẽſis Auguſti exhibitum, menſe Maij antecedente fuiſſe conflatum; hocque proprijs oculis vidi, viderunt quin etiam multi alij, & poteſt quilibet arbitratu ſuo videre in Apotheca Illuſtriſſimæ ei domui inſeruiente prope pontem S. Angeli ſitam, & albam pro inſignibus columbam gerente, vbi diſpenſatorum medicamentorum liber fideliter ſeruatur, in quo Diaphæniconis ſchedula ſcripta, & à Protomedico Romano die decima Maij 1614. ſubſcripta reperitur; ità vt inter præparationem, & exhibitionem non pauci tantùm dies, vt ſcribit, ſed tres ferè menſes interceſſerint. At dato etiam, quòd illud recens omninò eſſet, ſtatimque præparatum etiam exhibitum, argui tamen non poteſt. ſiquidem huic impoſturæ aromatarij occurrunt, quo-

rum

Digitized by Google

rum multos, ſenioreſque præcipuè interrogaui; an omnia medicamenta compoſita tam alterantia, quàm euacuantia fermentationem antè eorum vſum requirant; & an ab almo Medicorum Collegio, aut alio, ad quem ſpectat, per aliquod ſtatutum tempus eorum diſpenſatio, & vſus inhibeatur. Qui de quæſito admirantes, ac vix riſum continentes, vnanimes reſponderunt, non ſolùm Medicis, & Pharmacopæis prouectis, verum etiam vtriuſque profeſſionis tyronibus euidenter conſtare, nulla alia medicamenta compoſita fermentationē ad tempus requirere, quàm alterantia, quæ opium recipiunt, vt eſt Theriaca, Mitridatum, vtrumque. Philonium, Triphera magna, & ſimilia. Ratio autem in promptu eſt, quoniam opium in ſummo gradu frigidum exiſtens, & per conſequens craſſæ, terreſtriſque ſubſtantiæ, ante quàm ſubſtantiæ eius craſſities atteratur, atque attenuetur, eiuſque nareotica vis, & frigiditas à ſuis contrarijs, & alexipharmacis attemperetur, & retundatur, aliquo tempore pro exacta mixtione, & fermentatione ob ſui reſiſtentiam indigere; & propterea nareoticorum vſus per ſex ad minùs menſes interdicitur, cùm eo tempore vis opij maximè præualeat. At reliqua compoſita etiam euacuantia, & quæ pro reliquorum exemplo, poſtquam de ſcammoneo eſt ſermo, ſcammoneum recipiunt, nulla in-

la in-

Digitized by Google

la indigent fermentatione; propterea quòd cùm ſcammoneum ſit calidum, & tenuis ſubſtantiæ; facile, & cito à ſuis contrarijs in euidentibus qualitatibus attemperatur, in occultiſque corrigitur ità vt exactiſſima mixtio, quæ in pharmaci ſcammoneati præparatione ad ignem peragitur, abſque alia fermentatione ſufficiat, taleque compoſitum ſtatim ac præparatum eſt, in vſum redigi poſſit, ſicut quotidiè ab omnibus pharmacopæis fieri conſueuit: immo addunt, quòd quò medicamenta huiuſmodi recentiora ſunt, eò meliora ſunt reputanda; quod quidem veriſſimum ſemper eſſe arbitratus ſum, quandoquidem præter rationes adductas nunquam memini me ab aliquo pharmacopola, vel Medico oppoſitum oretenus audiuiſſe; nequè apud aliquem auctorem idem legiſſe: Et licet Conciliator *diff.* 161. affirmet, quòd nonnullorum medicamentorum aſſumptioni per aliquot dies ipſorum conſtructio præcedere debeat, vt ex actione, & paſſione applicatorum ſimul vna quædam media reſultet natura; nihilominus de ijs intelligendum eſt, quæ abſquè igne præparantur, ſicut infra ſe ipſum declarans inquit, quòd in quibus propriè agit ignis permixtionem, non ſic expedit, cùm ipſius actuale calidum celeriter potuerit eandem inducere. Igitur cùm Diaphœniconis præparatio, ſicut reliquorum ſoluentium, ad ignem per-

agatur

agatur, ità vt eius vigore exactiſſima omnium miſcibilium vnio reſultet, non videtur alia opus eſſe fermentatione; ſed ſtatim ac præparatum eſt, exhiberi poteſt, ſicut conſuetudo etiam, quæ eſt altera Natura, Legiſque vim habens, idem peragendum eſſe ſuadet.

ALTERI autem parti D. Ioannes Baptiſta Gauagninus Chirurgus peritiſſimus ſatisfacit, dum aſſerit, iuramentoque aſſeret, quotieſcunque & quandocunque opus fuerit, in diſſectione ab ipſo celebrata nec ventriculum cum œſophago excoriatum, nec Duodenum inteſtinum perforatum, nec reliqua craſſiora ſphacælo corrupta, vt ille ſcriptis mandauit; ſed duo tantùm vlcuſcula in recto inteſtino deprehendiſſe, quibus multos annos laborauerat à luis Venereæ prauitate derelictis; cui diſſectioni ſi auctor interfuiſſet, ſicut non interfuit, rem aliter ſe habere ac ſcripſit, proprijs oculis apertè conſpexiſſet.

PRAETERQVAM quòd cuique legenti impoſſibile videtur, tot enarrata mala à venenis à tota ſubſtantia, corroſiuiſque præcipuè fieri ſolita, ab vno Diaphœnicone omni noxa, vt probatum eſt, carente oriri potuiſſe. Prætereà ſi prædicta vẽtriculi cum œſophago excoriatio adfuiſſet, quomodò ſeri caprini deſtillati potum actu gelidiſſimum, copioſa niue refrigeratum per multos dies illi exhibitum abſque dolore, vel ſaltem

tem

Digitized by Google

tem abſque moleſto, mordacique ſenſu ſuſtinere potuiſſet? cùm Hipp. 5. *Aphor.* aſſerat, quòd frigidum vlceribus eſt mordax, & tamen ipſe fatetur, quòd ex ea frigidiſſima potione mirum in modum patiens recreabatur. Deinde ſi Duodenum perforatũ extitiſſet, quomodò vocatus chilus, chilificationiſque excrementa per partem illam perforatam in abdominis cauitatem non pertranſiſſent? quomodò eandem ad inſtar aquæ Hydropicorũ plus minuſue nõ repleuiſſent? Præterquamquod etiam quæri poſſet, quo pacto, quo tempore, & modo abſque ſenſu, dolore, & inflammatione talis perforatio fieri potuerit? cùm neceſsè fuiſſet, vt omnis ſcammonei portio in Diaphœnicone ingrediens, tanquam ex electione agens in vnum ſe collegiſſet, eique inteſtini parti inhæſiſſet, atque eandem ad inſtar ſagittæ, vel terebræ perforaſſet; niſi tamen ſignificare velit inteſtinum Duodenum in ſui initio, in quo cum ventriculi ore inferno Pyloro dicto annectitur, & in fine, in quo cum ieiuno coniungitur, perforatum eſſe: quod à nemine controuertitur.

ADDEBATVR præterea, colicam affettionem tam vehemens medicamentum, ſicut eſt Diaphœnicon, non requirere, & idcircò aliquo leni vti, ſicut melle roſaceo ſolutiuo, & ſimilibus ſatis fuiſſet. Cui dicitur, quòd ex praua ſuppoſitione de illius pharmaci natura facta, ſed

Digitized by Google

non recepta, hæc, & ſimiles oppoſitiones ortum ducunt, non ſecùs ac paruus error in principio, ex Ariſtot. ſententia, maximus in fine fieri conſueuit. Verùm cùm oppoſitum ſatis ſuperque probatum ſit, dicendum tantùm, quòd cùm dolores illi à materia admodum copioſa, & craſſa in prima regione ſtabulante producerentur, à leni aliquo, vt dicitur, medicamento remoueri non poterant, ſed pluſquam leniente, non tamen vehementer ſoluente, quale eſt Diaphœnicon, indigebant, ad cuius exhibitionem duarum, vel trium horarum ſpatio, vt ſupra oſtendi, profligati penitus fuerunt, nec tempus materiei præparationi dabatur, nec prima regio excrementorum receptaculum nimis latum eam exigebat: ſiquidem cùm Colica ſit affectus præternaturam valdè acutus, in eoque materia turgeat, illicò pharmacum abſque alia præparatione eſt propinandum, ſicut faciendum præcipit Hipp. *4. Aphor. 10.* dum ait, *Medicari in valdè acutis, ſi materia turgeat, eadem die; tardare enim in talibus nocuum eſt*; & alibi dicebat, extremis morbis, extrema quoquè remedia eſſe præſcribenda; quibus omnibus Meſues filius conſentiens exclamabat dicens, *O tu, qui corporum curam geris, auxiliari nè differas; nam ſemel pereunti nulla deinde ſuffragia proſunt.* & Coſteus *ſuper Auic. cap. proprio* affirmat, nullam aliam præparatio-

nem

Digitized by Google

nem ante pharmacum purgans colico affectui præmittendã eſſe, quàm clyſterem emollientem induratas fœces euacuantem, ſicut peractum fuit. Quòd verò in Colica materia turgeat, oſtendunt dolores acutiſſimi ſurſum, deorſum, hinc, indè ad latera, antè, retrò, & per omnem loci poſitionem vagantes. Quòd etiam idem affectus ſit valdè acutus, eius breuitas, & furor patefaciunt, cùm aliquandò vigintiquatuor horarum ſpatio, & breuiori quoque interficiat; ſicut vni ex eadem familia viro Illuſtriſſimo aliquot ab hinc annis contigit, qui paucis horis à Colicæ acutie, & ſæuitie extinctus fuit; quamobrem Iacobus Bonauentura, tunc Medicus intimus fœlicis recordationis Clementis Papæ Octaui, interrogatus, cur ſic, & tam citò obijſſet, reſpondit, quoniam ei non pharmacum catharticum, & appropriatum, quo indigebat, ſed leuiſſimum tantùm, quod magnam morbi cauſam inducias non dantem remoueri non potuit, fuiſſet propinatum. Quaſi bonus ille ſenex Hippocratis, Galeni, & Cornelij Celſi ſectator inferre vellet, affectui Colico non leuibus, ſed vehementioribus, & appropriatis pharmacis, atque illicò, & abſque vlla mora occurrendum eſſe.

SED neque etiam obſtat, quod vlteriùs de calido Anni tempore obijcitur, quoniam licet Hipp. 4. *Aphor.* 2. ſcriptum reliquerit, quòd ſub

Digitized by Google

cane, & ante canem difficiles ſunt purgationes; nihilominus viri aliqui inſignes, vt Hollerius, Mercurialis *4. Conſ.* Tom. *conſ. 8*. & alij aſſerunt, hoc tantum de Hippocratis regionibus calidiſſimis, & de medicamentis vehementiſſimis, vt de Peplio, & Helleboro ſuo tempore conſuetis intelligendum eſſe. Et dato, quòd in noſtris etiam locum habeat, non omninò tamen medicationes prohibere videtur, ſed dicit tantum eſſe difficiles: & ratio eſt, quoniam Hippocrates cognouit ſolum anni tempus calidum, Sole Leonem peragrante, vigens ad prohibendum, quod à pluribus, & maioribus indicatur, non ſufficere; ſolùm ſufficit, quandò alia maior indicatio non occurrit, ſicut optimè adnotauit Valleſius *quarto Controuerſiar. cap. 18*. Ad quod etiam dirigens oculos Galenus, cuius ſingularem doctrinam cælitus elargitam omnes Medici Romani, (ſi vnus tantùm ſolius Hippocratis ſectator, & qui dum hæc ſcriberem ex hac luce migrauit, excipiatur) admirari, maximi facere, & omninò ſectari profitentur, quicquid nonnulli detrahendi cauſa aſſerere audeant, *octauo Methodi vltimo* dicebat, quod ad rectam remediorum inuentionem, & ad congruum victus regimen inſtituendum, neceſsè eſt perpendere numerum, & magnitudinem indicantium, ita vt plura indicantia vincant pauciora, & minora à maioribus ſupe-

ſuperentur. Quamobrem cùm in Colicæ caſu, de quo præſens ſermo eſt, non ſolùm res omnes præternaturam, vt eſt morbus, morbi cauſa, & ſymptoma, ad pharmacum indicandum concurrerent, verùm etiam res naturales, vt virtus, temperatura, ætas, conſuetudo, vitæ inſtitutum, & huiuſmodi non ad permittendum tantùm, ſed ad coindicandum quoque conuenirent; non videtur rationi congruum, quòd vnica res non naturalis, ſicut eſt aëris caliditas, vnà etiam cum Ducali, in qua conſtitutus erat dignitate, nihil tamen ex vſu artis indicante, (vt mox notabili quodam exemplo ſum probaturus) maiorem ad prohibendum vim haberet, quàm tot reliqua efficaciora enarrata ad indicandum pharmacum ſatis clemens, & appropriatum, vt eſt Diaphœnicon, Principibus quoque eo indigentibus tutiſſimè exhibendum, quod notiſſimum eſt duarum, vel trium horarum ſpatio dolores, eorumdemque cauſas abſque vlla moleſtia profligaſſe, à quibus doloribus à decima tertia hora vſque ad vigeſimam quartam immunis omninò permanſit.

Ad probandum autem nullam à dignitate in medendi methodo ſumi agendorum indicationem, liceat mihi pro veſtra patientia breuem quamdam, reique noſtræ admodum conſentaneam Iulij Tertij fœl. rec. olim Pontificis Roma-

Digitized by Google

ni hiſtoriam recenſere: qui cum aliquando ægrotaſſet, Friſimellicam Medicum inſignem Patauinum ſuæ curationi conuocari præcepit. Is, vt erat ſolida doctrina, tutaque praxi inſignitus, audiens à Medicis tunc ſummo illi Pontifici inſeruientibus, pro purgatione parum Mannæ, vel quid ſimile leue proponi, exclamauit dicens, Quomodò vir iſte diuinus, fortis, agreſtem naturam præſeferens, alimentiſque craſſis difficilis coctionis, & quamplurimi excrementi, vt ſunt Braſſicæ, Rapæ, carnes Bubulæ, lagana, & huiuſmodi aſſuetus, hiſce leuibus medicamentis ſanari poterit? abſque dubio niſi ſcammoneum, Coloquintidem, vel ex his compoſita pharmaca exhibeamus, neutiquam Sanctitatem ſuam pristinæ valetudini reſtituere poterimus. Quaſi inſinuare vellet, ſummaque cum ratione, non ab vnica, vel triplici corona capite geſtata, & omninò à dignitate aliqua agendorum indicationes deſumi, ſed, vt Galenus paſſim *in libro Methodi meden.* affirmat, à morbo, morbi cauſa, & à virtute, quibus famulantur temperatura, ætas, conſuetudo, & vitæ inſtitutum, ſub quo fortaſsè maieſtatem Pontificiam, Imperatoriam, Regiam, Ducalemque, cum cæteris dignitatibus eſſe aliquo pacto comprehendendam nonnulli exiſtimare poſſent.

SED ad rem. Stante igitur, quòd per diem

Digitized by Google

totam doloribus caruerit, vt nuper dictum eſt, quomodò inferri poteſt, quòd ea ſæuiſſima, & lethaliſſima ſymptomata vix vna hora poſt pharmacum aſſumptum inuaſerint, & à decimatertia vſque ad decimamſeptimam ægrum, ſe præſente, vt ſcribit, in epiſtola diuexarint? eundemque, ab ipſo Theriacæ portiuncula exhibita, illicò ad viuos fuiſſe redactum, ſi poſt eius diſceſſum à ſummo mane vſque ad veſperas abſens omninò fuit, & Excellentiſſimus patiens ab eadem hora decima tertia vſque ad ſolis occaſum, ab omni dolore, aliaque re præternaturam lædẽte pharmaci aſſumpti ope penitùs vacauit, vt teſtibus, & rationibus comprobatum eſt? hoc maximam implicat contradictionem.

QVÒD poſtmodùm hora veſpertina ventris doloribus denuò excruciari cæperit, quodque ſequenti nocte eum febris nonnullis ſymptomatibus ſtipata, more aliarum febrium, quæ, vt Gal. *2. ad Glauc.* & Fernel. *lib. de febribus* affirmant, nunquam ferè incomitatæ progrediuntur, inuaſerit, omnibus, mihique præcipuè, vt retuli, in confeſſo eſt: ſed an pharmaci culpa id contigerit, an alia de cauſa, diſquirendum venit. Igitur quòd doloris recurſus cauſa medicamentum eſſe nequierit, ſi ſuppoſitiones de illo perperam factæ excipiantur, ex eius natura, actione, & doſi, bis, terue ſuperiùs comprobatis manifeſtum relin-

 quitur;

quitur; ex eo quin etiam, quod tunc accidit, ex ſubita ſcilicet, & rationabili doloris ſedatione, ſicut accidiſſe mihi ſemper obſeruaui; namque illud multoties in eadem doſi exhibuiſſe memini non ſolùm viris, verum etiam mulieribus, vt Reuerendæ Moniales præcipuè S. Laurentij in Pane & Perna teſtari poſſunt, ſicut nunc exhibeo, & exhibebo quotieſcunque occaſio ſe præbuerit; & tamen nullum vnquam incommodum, ſed iuuamentum ſemper ſecutum fuiſſe fideliter aſſerere poſſum. Ergo non medicamenti ratione, ſed ob aliam, & nouam cauſam, ob regenerationem videlicet materiæ crudæ, & flatuoſæ ex Perſicorum comeſtione, ex gelidiſſimoq. potu dolores redijſſe dicendum eſt; quemadmodum in hiſtoriæ deſcriptione ſuperiùs pleniſſimè, & fideliter enarraui.

De febris autem ſuperuentu quid aliud aſſeri poteſt, niſi ei ad vnguem contigiſſe, quod puerperis quibuſdam contingere ſolet? quibus ob partus dolores, & labores vitioſi humores (vt Ludouicus Mercatus *quarto de morbis Muliebribus* adnotauit) vteri geſtationis tempore ob malam victus rationem congeſti excitantur, commouentur, incaleſcunt, putreſcunt, tandemque febrem acutam, quandoque etiam mali moris pariunt, ex qua miſeris puerperis aliquando quoque interire contingit. Sic in caſu noſtro,

cùm

Digitized by Google

cùm morboſus prauorum humorum adeſſet apparatus, quid mirum ſi ex Colicis doloribus ingraueſcentibus in dicta humorum colluuie ob materiæ diſpoſitionem calor primùm febrilis, deindè putredo maligna fuerit excitata? nam ex Ariſtotelis ſententia, actus actiuorum fiunt tantùm in patiente bene diſpoſito. Quandocunque igitur præeſt cauſa efficiens valida, materiaque diſpoſita, quid prohibet ſtatim à Cælo immitti in eam, formam, quam meretur? quod doctiſſimus Fernelius *2. de abditis rerum cauſis* ſcriptum reliquit.

Svpradictis igitur ſic cumulatiſſimè comprobatis,& euidenter conſtantibus, non erat ab eo ex præmiſſis falſis præſumpta vera concluſio elicienda; pharmacum videlicet illud interitus cauſam, & originem extitiſſe; duos eruditiſſimos viros omni probitate, fide, & ſinceritate inſignes dictum ſuum haud comprobantes pro teſtibus adducendo, qui tamen ſi aliqua in parte etiam ſuæ opinioni tunc aſſenſiſſent, omni excuſatione digniſſimi cenſerentur, cùm à principio ægritudinis per aliquot dies eius curæ non interfuerint, & propterea non niſi ſecundùm relationem ab ipſo factam iudicium ferre poterant; quæ an fidelis fuerit, necnè, ex ſupradictis iudicare cuilibet difficile non erit. Ex quo non parùm mirari videntur nonnulli, quòd Au-

ctor

ctor, alioqui doctiſſimus, ſui libri titulum, ſeu inſcriptionem ſic peruertere videatur; ſiquidem in epiſtola ad Medicos Romanos ſcripta non reſponſoris munere fungitur, cùm ſua ſponte, non autem ab aliquo requiſitus ſcripſerit; non conſiliarij, cùm in eadem de actis tantùm & præteritis (de quibus, vt dicitur, non eſt conſilium) ſermonem habeat; ſed nec etiam Iudicis, cùm accuſatores deſint, & reus; ergo aliter potius, & rationabiliter eſſet inſcribendus.

Sed neque etiam erat exclamandum, *O craſſum errorem, nunquam à ſæculo auditum!* quoniam exhibere vnciam vnam Diaphœniconis, (quæ eſt mediocris, & conſueta doſis, ſicut auctoritatibus, & rationibus comprobatum eſt, non autem ſumma, & inſueta, vt ipſe gratis ſupponit) Principi, equitique ſtrenuiſſimo, bona corporis temperie, quadratoque habitu prædito, in ætate ſi non proficiente, ſaltem conſiſtente, aut non ſenſibiliter deficiente conſtituto, laboribus, & incommodis tam in expeditionibus militaribus, in quibus pluries tempore belli in Flandria, & in Gallia Equitum copijs præfuit, quàm etiam in venatione pacis tempore diu noctuque aſſueto, & qui præter hydrargiri inunctionem duplicatam, ex Fernelio pharmaci pondus requirentem, vehementiſſima etiam medicamenta tam Cathartica, quam Hydrotica pro luis Venereæ

cura-

Digitized by Google

curatione ab Empirico Gallo propinata, & adhibita expertus fuerat, doloribus Colicis à materia craſſa, frigida, & flatuoſa vexato, febriſque experti, non eſt error nec craſſus, nec tenuis, ſed eſt legitima, & methodica medendi ratio, quemadmodum ſecundùm rei veritatem oſtendit ſubſecuta ſtatim, rationabiliterque doloris ſedatio, quæ ex Hippoc. *Aphor.* 2. ſignum eſt Pathognomonicum, medicamentum congruum extitiſſe, omnibuſque numeris abſolutum, & ad profligandum morbum valdè accommodatum. Maximus error meus iudicandus fuiſſet, ſi vni præternaturam affectui pro altero medelas adhibuiſſem, appropriatiſque medicamentis vſus non eſſem, ſicut quandoque nonnullis contingere conſueuit: verum affectio fuit colica, ſeu inteſtinalis, & pro colica, & inteſtinali remedijs proprijs curata, quemadmodum eius ſubita ſublatio patefecit.

Coeterum reſpondendum mihi relinqueretur multis grauiſſimorum Auctorum adductis auctoritatibus, vt Auicennæ, Fernelij, Tralliani, Valleſij, Actuarij, & aliorum; ſed quoniam illæ ſuppoſitionibus à ſe gratis factis innitentes tantùm, nihil aduerſus me probare videntur, vt cuique legenti palam fieri poteſt, id circò eas omnes, nè tædio lectorem afficiam, omittendas decreui, vni tantùm Galeni auctori-

tati,

tati, quæ erit inſtar omnium, ſatisfaciens; qui 12. *Meth. vlt.* proponens quo pacto dolores eos, quos frigidus humor in medio inteſtinorum interclusus excitauerint, ſanare conueniat, *Non perfuſionibus*, inquit, *& cataplaſmatis, quæ euidenter excalfaciunt, quippè lenti omnes, craſſique, & frigidi humores ab ijs, quæ calefaciunt, niſi etiam vehementer digerant, liquantur, & in flatus vertuntur, vndè & dolorem augent*. quibus Galeni verbis quis eſt qui non intelligat, eum de medicamentis tantùm alterantibus externis, & internis, quin etiam, dum de allij comeſtione flatus diſcutientis ſubiungit, & quod ipſe Agreſtium Theriacen appellat, ſermonem habere? à quibus impensè calidis, vt eſt Theriaca, Mitridatum, Diacalamentum, & ſimilia cane peius, & angue, antè ſaltem pituitæ euacuationem abſtinendum eſſe Ioannes Fienus, non ignobilis auctor, libello ſuo de flatibus, Galeno ipſi cõſentiens, teſtatum reliquit. De ſolis igitur alterantibus ibi Galenus loquitur, non autem de euacuantibus, vt eſt Diaphœnicon ex ſupradicta auctoritate in crimen adductum, non tam per ſe ſolùm, quàm quòd cum aqua Cinnamomi ſtillatitia permixtum, concinnatumque fuerit, quæ aqua ad quatuor tantùm guttulas non ad inſtar ignis comburendum, vt ille exclamat, ſed ad odorem, & iocunditatem conciliandam præſcripta fuit: prætcrquamquod videant

deant docti, & experti, quæ prædictæ aquæ menſura noxia, aut pondus in vnica Diaphœniconis vncia, electuarij admodum mollis in bolos redacti recipi poſſit. Sed quid mirum hanc etiam reprehenſionem eſſe additam, quandò Excellentiſſimo illo Domino ægrotante, vt ſuæ aſſertioni maior fides adhiberetur, rumor per vrbem vagatus fuerit, me poſt illos bolos, aquã ex cinnamomo ſtillatitiam ad ſex vnciarum pondus ſuperbibendam, præbuiſſe? quod ſicut à veritate alienum eſt, ita tanquam extra Medicos terminos conſtitutum à nemine credi poſſe conſido. Quod tamen Diaphœnicon ità præparatum, & exhibitum, tantùm abeſt, vt humores liquando, & inflatus conuertendo ſit noxium, vt potiùs eoſdem humores craſſos, & frigidos dolorem parientes educendo, dolorem omnem auferat, ſicut fecit. quamobrem vno, eodemque tempore pluribus ſcopis ſatisfacit: vt enim calidum craſſa ſecat, attenuat, & flatus diſcutit, vt ſoluente facultate præditum humores craſſos, & frigidos peccantes euacuat, & proindè colicam affectionem penitùs ſanat, & hoc eſt, quod faciendum præcipit Hippocrates aurea quadam, breui, abſtruſaque, ſed admodum prægnante ſententia, quam hîc cum alijs plurimis adducere decreui, vt ſciant omnes, & præcipuè Momi nonnulli aliter ſentientes, Medicos Romanos non ſolùm ad nonnulla

Hippo-

Digitized by Google

Hippocratis remedia vſurpanda, verum etiam ad eiuſdem loca, & ſententias, quas egregiè poſſident, ſuo loco, & tempore in medium afferendas promptiſſimos eſſe. Locus eſt primo de morbis *text. 1.* vbi inquit Hippocrates, quòd quilibet Medicus antè curationem ſuſceptam animaduertere debet, quòd omne in arte Medica vnum eſt, & omnia quod vnum; quaſi inferre velit ſenex noſter, vt etiam exponit Petrus Salius, quod Medicus in cuiuſque morbi curatione debet reperire remedium, quod ſit omne, in quo ſcilicet ſumma curationis conſiſtat, & illud omne ſit vnum pluribus inſimul indicationibus ſatisfaciens.

HIS igitur omnibus in meam defenſionem adductis, præſtitiſſe videor quod pollicitus fueram, meque ab omni culpa, & errore falsò attributo rationabiliter immunem rediđiſſe, ita vt inferre poſſim, nil conſcire mihi, nulla palleſcere culpa, nihilque eſſe, quod ſit horribile, & pertimeſcendum præter culpam, & peccatum, quibus vacare, vt inquit Marcus Tullius; maximum eſt ſolatium, ſicuti magnum quoque ſolamen eſt, nõ contigiſſe mihi, quod Hipallo Philoſopho Pithagorico eueniſſe legitur: qui interrogatus, quid ageret, non dum nihil, reſpondit, nondum enim mihi inuidetur. Cùm ergò ex actis meo ſtatui, & quieti abſque alia cauſa non

Digitized by Google

ſa non modicum inuiſum eſſe perſpiciatur, aliquid iam me egiſſe, citrà iactantiam affirmare auſerim.

QVÒD ſi prædicta alicui non ſatis eſſe videantur, pro poſtrema, ſolidiſſimaque comprobatione confugere ad vos cogor, viri prudentiſſimi, quibus notum eſt, me à triginta octo abhinc annis, hoc eſt à principio Pontificatus fel. rec. Sixti tunc Papæ huius nominis Quinti, cum potioribus, inſignioribuſque noſtræ ætatis huius almæ Vrbis Medicis in medendo conueniſſe, quorum aliquos iam vita honeſtiſſima functos mihi honoris cauſa nominare liceat, qui fuerunt in primis Franciſcus Gimnaſius, Alphonſus Catenus, Iulius Buſſellus vxoris meæ Auus; Ioachinus Tomaius, Paduanus Guglielminus, Vincentius de Eugubio Conſobrinus meus, Antonius Portus, Petrus Mancinus Sanctacrucius, Andreas Ceſalpinus, Sigimundus Brumanus, Hieronymus Cordella, Hieronymus Prouenzalis, Iulius Barga, Iacobus Bonauentura, Rodulphus Silueſtrius, poſtremi ſex Medici Pontificij; Ioannes Zecchius, Ambroſius Gallianus, Marſilius Cagnatus; & nouiſſimi omnium nuper vita functi, Cinthius ſcilicet Clemens, & Bernardinus Caſtellanus, quorum alter Paulo Quinto alter vero Gregorio XV. poſtremis Summis Pontificibus Medici intimi, & à ſecretis cubicularij

larij inſeruierunt; cum his namque omnibus, alijſque quamplurimis omnem laudem merentibus conſultando, ægrotiſque medendo artem Medicam exercui; & vos, Doctores celeberrimi, qui nunc vitali aura fruimini, diuturna vita, nunquamque deſinenda propter egregia hucuſque à vobis nauata opera, & in poſterum egregiora nauanda digniſſimi, vna cum Perilluſtri, & Reuerendiſſimo D. Iulio Mancino ob ſingularem eius doctrinam, & multiplicem eruditionem noſtro ad præſens Archiatro, & Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Papæ Octaui, cui Deus Opt. Max. ob ſuimet gloriam, gregiſq. ſui beneficium Neſtoreos vitæ vna cum ſecunda valetudine annos elargiri dignetur, Medico intimo, & Cubiculario, teſtari poteſtis, an ſupra nominatis, aut veſtrùm alicui, quibus cum millies etiam in iuuentute mea conueni, indieſque, prout ſe præbet occaſio, iam grauis ætate conuenio, mutuis nobis inuicem collegis exiſtentibus, de aliquo notatu digno errore patrato, vel patrari propoſito me arguere, vel illum corrigere contigerit. Scitis quin etiam quot Illuſtriſſimi Purpurati, quotque alij Principes generoſiſſimi mea in medendo opera vſi fuerint, quotque ad præſens vtantur; inter quos præcipui ſunt Illuſtriſſimi ipſius defuncti fratres, nepotes, & alij conſanguinei, quibus omnibus eorundem

Digitized by Google

rundem iuſſu, nè dicam precibus addictiſſimus, & deuinctus admodùm cliens, & Medicus inſeruio: qui, ſi in me aliquam medendi rationem crimine dignam, atque ad ægrotantium detrimentum mea culpa tendentem, à quolibet alio etiam edocti, animaduertiſſent, nè vtiquam vitam ſuam, & incolumitatem meæ fidei, curæ, & induſtriæ, eo dimiſſo, credidiſſent, nec credere pergerent, ſicut vobis omnibus, alijſque quamplurimis pro eorum benignitate, & prudentia facere notiſſimum eſt; hocque vnum argumentum, & teſtimonium me ab omni calumnia, & reprehenſione falsò attributa immunem reddere ſatis eſſe deberet, ſicut omnes Dei Optimi Maximi beneficio innocentiam, & veritatem tuentis, me hucuſque talem redditum eſſe pleno ore affirmant.

INVEHAT igitur quicunque velit caſuum fictionibus, & Chimerarum ſimulationibus præter omnem rationem aduerſus me, quoniam vniuſcuiuſque veſtrùm veritatem diligentis patrocinium, veritatemque ipſam Temporis filiam ſuo lumine falſitatis tenebras diſſipantem me ab omni inuectiua tutum, indemnemque ſemper ſeruaturum confido, propterea quod, vt in ſacris litteris apud Eſdrâ legitur, Li-

Digitized by Google

cet *fortis ſit Rex, fortius vinum, fortioresq; mulieres, nihilominus ſemper ſuper omnia vincit veritas*, ob cuius ſolidiſſimam firmitatem ſpero fore, vt ſi quis imposterum me in foueam abſque cauſa impellere conabitur, ipſe me conſiſtente ſponte ſua in eammet decidat.

VERVM enim verò quæ aduerſus innocens Diaphœnicon, & aduerſus me innocentiorem eius defenſorem typis tradita, & promulgata fuere, non magis criminanda, quam aliquo pacto excuſanda exiſtimo; hocque duplici ratione. Altera eſt, quòd Auctor fortaſsè erroris inſcius ita re vera ſentit, ſicut ſcripſit, & ſibi peræque, ac cuique alij licere propriam propalare ſententiam, ſiue rectè, ſiue perperam fiat, dummodò tamen alicuius honeſtæ rei cauſa onus illud ſuſcipiatur, & propter aliquem laudabilem exitum, & in re dubia alienum conſilium expetatur; quod, ſi prudens, fidumque ſit, plurimi æſtimetur, atque vſui redigatur. Ad quod peragendum oportuna ſibi admodum ſe ſe obtulit occaſio: etenim cùm ſuam epiſtolam duobus communibus familiaribus, Domino videlicet Angelo Victorio Balneoregienſi Medico inſigni, & in Vrbe ſeniori, & Domino Taddeo Colliculæ Spoletano nunc Romæ ſumma cum laude Medicinam facien-

Digitized by Google

facienti oſtendiſſet, legendamque eis præbuiſſet, proprium cuiuſque iudicium efflagitans, ea perlecta, atque optimè conſiderata, quilibet ipſorum ſeorſum fideliter, & prudenter ab illius impreſſione, tanquam à re odioſa nimis, eique Naturæ Legi, Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris, aduerſaria, &, quod magis eſt, ferè improbabili, beneuolis eum diſſuaſionibus auertere conatus eſt; quorum tamen conſilio, quodcunque fuerit, adhærere ei nequaquam libuiſſe, ſubſecuta poſtmodum editio patefecit.

ALTERA ratio eſt, quòd ſui ipſius fiduciam non habens, nec propriæ opinioni confidens, pluribus in epiſtolæ locis quæcunque in ea ſcripta ſunt, modeſtè quidem, & libenter veſtro prudentiſſimo iudicio, & cenſuræ ſubijcere non dubitauit, reſponſionem fortaſsè aliquam beneuolam, & admonentem, ſi qua in re defeciſſet, expectans; quam quidem, ſaluo ſemper meliori iudicio, nullo pacto ei denegandam eſſe arbitrarer, tum proprij cuiuſque muneris ratione, tum etiam vt admonitus mutando ſententiam, quatenus opus ſit, in veriorem, & meliorem ſapientis, vt dicitur, munere fugatur.

SED cùm iam caſum veridicè, & fideli-

Digitized by Google

ter deſcripſerim, cumque doctiſſimi viri mei tunc collegæ poſitionẽ teſtibus fide dignis, nec non rationibus demonſtratiuis expugnauerim, Diaphœniconis quin etiam qualitates, & dotes patefecerim, oſtenderimq. quo anni, & morbi tempore, cuiq. ſubiecto exhiberi poſſit, intextis vndique comparationibus, exemplis, hiſtorijſq. congruis, tempus eſt, vt legendi tædium breuitate compenſetur, receptui canere, finemque epiſtolæ imponere; ſi ante tamen vos omnes, viri præſtantiſſimi etiam, atque etiam exorauero, quòd cùm non popularis auræ cauſa, aut φιλαυτία, ſed tantùm ob exiſtimationis meæ defenſionem abſque vllo odio inteſtino, coactum etiam hæc me ſcripſiſſe perſpiciatis, ſi minùs ornata orationis ſerie, verborumque elegantia, quàm veſtris purgatiſſimis auribus conueniat, ſatisfeciſſe videar, meam quæſo excuſationem accipere non grauemini, ſcientes inſimul, me non Oratorem, nec humanarum litterarum peritum profiteri, ſed Medicum, cuius munus præcipuum eſt mederi appoſitè ad profligandos morbos, qui non Greco, non Latino, non Hebraico, nec alio quouis eleganti ſermone, vt libro Tetras Quercetanus ex Celſo aſſirmat, profligari poſſunt, ſed lucis Naturæ cognitione, & rerum ab ipſa procreatarum expe-

Digitized by Google

experientia, & tuta adminiſtratione.
Valete, Collegamque veſtrum fideliſſimum, & addictiſſimum famulum diligite, & à detractoribus defendite, & Deus Optimus Maximus, ad cuius honorem, & gloriam pro veritatis, atque innocentiæ tutela hæc ſcripta ſunt, vos diù incolumes ſeruet. Romæ die ſexta Decembris M.DC.XXII.

* *
*

LAVS DEO TRINO, ET VNI, Deiparæque Virgini.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE
392860
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA